

Dissertatio critica quae serutatur & expendit caussas, ob quas ooo in orationis domin. formula apud S. Lucam desideretur

Autor(en): **Breitinger, J.J.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 16

PDF erstellt am: **27.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394659>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

DISSERTATIO CRITICA

quæ scrutatur & expendit Cauffas, ob quas

ΔΟΞΟΛΟΓΙΑ

IN ORATIONIS DOMIN. FORMULA

apud S. LUCAM desideretur.

Auctore

J. J. BREITINGERO.

§. I.

QUum duæ sint, & quidem adversæ, de Clausulæ Orationis Domin. apud S. Matthæum auctoritate Sententiæ, utpote quam alii ab ipso Domino profectam & tanquam partem cum ipsa Precum Formula conjunctam concioni populi ab ore ejus pendentis in monte dictatam traditamque fuisse statuunt: alii vero quarto demum post Christum natum Sæculo ex usu Græcorum Liturgico in S. Matthæi textu huic Precum Formulæ forte adhæsisse censent: Pro diversa hac hypothesi utique alia atque alia erit ejus Quæstionis, quæ omissæ apud S. Lucam doxologicæ hujus Clausulæ cauffas scrutatur, facies, atque diversa plane ejus tractandæ ratio. Itaque cum mihi constitutum sit hac Dissertatiuncula, illam *de S. LUCÆ in hac caussa Silentio Quæstionem*, quam omnes, quos hætenus consului, Scriptores vix leviter & quasi aliud agentes attigerunt, de data opera accuratius expendere, id mihi incum-

bere probe intelligo, ut quantum singulæ harum opinionum in hac Quæstione disceptanda momentum habeant, ita ad liquidum perducam, ut rectius cognoscatur, utra ex his duabus de Clausulæ apud S. Matthæum auctoritate opinionibus Quæstioni nostræ de Lucæ Silentio plenius satisfaciatur; & vicissim utra harum opinionum ex ipso hoc S. Lucæ Silentio majorem probabilitatis fidem acquirat. Quum enim a multis hoc ipsum S. Lucæ Silentium in alterius opinionis præsidium, alterius vero invidiam trahi soleat, erit omnino operæ pretium diligentius inquisivisse & penitus habere perspectum, an aliqua in hac causa & quanta huic Argumento, quod mere negativum esse videtur, vis tribuenda sit.

§. II.

Manifestum autem est, hanc Quæstionem, cujus nunc tractationem suscipio, originem suam trahere ex priore illa, quæ Clausulam O. D. in S. Matthæi textu genuinam & a Domino traditam esse statuit, sententia: Hac enim admiffa, non potest non mirum & insolitum videri, quod Ætiologia isthæc doxologica, quæ ad divini Nominis laudes, fideique nostræ firmitatem tantum conferat, & qua Christus Dominus perfectissimam precum Formulam, cum primum illam & ultro in montano Sermone traderet, concludi & obfignari voluerit, in ea, quam S. Lucas exhibet Formula, quamque privatim a Discipulis rogatus dictasse Dominus memoratur, prorsus desideretur. Quapropter, quum isthæc Sententia, quæ Clausulæ hujus apud S. Matthæum ἀυθέντως propugnat, dubiæ huic Quæstioni occasionem dederit, ante omnia

nia

nia examinabimus, quibus rationibus isti, qui hanc Sententiam amplectuntur, Clausulæ hujus omissionem apud Lucam tueri aut excusare fatagant, ne S. Lucæ Silentium suæ opinioni aliquid derogare videatur. In hac autem hujus Silentii vel defensione vel excusatione, quoniam illud vel a consilio vel ab errore proficisci debuit, mirum non est, non omnes eandem insistere viam: Illi enim, qui hoc Silentium a certo consilio profectum esse reputant, prætermissionem hujus Clausulæ vel ipsi Domino, Formulæ hujus auctori; vel sacro Scriptori, S. Lucæ, transcribere debent; si qui vero sint, qui errore aliquo aut incuria Clausulam excidisse sibi possunt persuadere, eos a priscis Librariis ejus defectum arcessere oportet. Quod si enim ab ipso Domino, eo quo S. Lucas commemorat tempore, cum Oratione Domini. etiam ipsa Clausula fuit tradita, necesse est, illam a S. Scriptore fuisse præteritam, cum hanc Domini de precibus institutionem in litteras referret. Si quis vero contenderet, eam a Domino traditam & a S. Luca fuisse consignatam, tum non aliud superesset, quam priscorum Librariorum culpæ hanc omissionem transcribere.

§. III.

Atqui vero hæc postrema suspicio, quæ hujus prætermissionis culpam omnem in Librarios transfert, nullos quod sciam auctores habet, atque adeo ab omni probabilitatis specie est remota, ut nemo ejus defensionem suscipere fuerit ausus: Nullum enim ex omni antiquitate, ne levissimum quidem vestigium aut indicium produci potest, ex quo *Δοξολογίαν* unquam in ea Formula, quam
S. Lu-

S. Lucas nobis exhibet, extitisse quisquam suspicari possit; omnia quippe cognoscendæ veræ Lektionis Subsidia, nimirum Patrum tam Græcorum quam Latinorum Commentaria, Interpretationes N. F. antiquæ & primæ seu immediatæ, atque etiam quotquot hodie adhuc supersunt MSS. Codices Græci & Latini in excludenda a S. Lucæ Textu Doxologia amice consentiunt. Recte igitur concludimus, hanc O. D. Clausulam doxologicam a S. Lucæ Textu non errore aliquo, sed sapienti consilio abesse, sive eam ab ipso Domino hanc precum Formulam dictante, sive a S. Luca, quæ dictata erant calamo excipiente, prætermittam esse sumamus: Cum enim tertia, quam inter possibiles causas retulimus, ne quidem locum habere possit, oportet alterutram ex his duabus causis valere, atque hanc omissionem vel ab ipso divino Orationis Domin. Auctore, vel a S. Scriptore esse profectam: horum vero uterque cum ab omni erroris suspicione longissime sint remoti, quin consilio ita egerint, ut Clausulam præterirent, dubium nullum superest. Hujus vero Consilii rationes oportet fuisse haud proletarias, tantoque graviore, quo arctior & magis necessarius hujus Doxologiæ cum reliqua Orationis formula nexus & conjunctio esse statuitur.

§. IV.

Immo vero si supponatur, Christum Dominum hanc precum Formulam, utrique S. Scriptori memoratam, non nisi semel dictasse, atque S. Lucam Cap. XI. 1-5. eandem nobis rem commemorare, quam etiam apud S. Matthæum Cap. VI. 9-13. consignatam legimus; tum utique, si
quidem

quidem Clausula apud Matthæum genuina est, ejus apud Lucam prætermisio ne quidem ad Dominum posset referri, sed in solidum S. Lucæ tribuenda foret, atque ita ad unicam causam hæc omisio rediret. Id ergo primum nobis cognoscendum est, utrum Matthæi ac Lucæ narratio una eademque sit, atque ad eundem temporis articulum referri possit? Quod a plurimis jam sua ætate fuisse affirmatum ORIGENES in illo περι' Ευχης Libello §. XVIII. auctor est: Καὶ πρὸ πάντων γε παρακληθέν, ὅτι ὁ Ματθαῖος καὶ ὁ Λυκάς δόξαιεν ἂν τοῖς πολλοῖς τὴν αὐτὴν ἀναγεγραφέναι ὑπολείπωμένην πρὸς τὸ δεῖν ἕτως προσεύχεσθαι προσευχὴν. Atque etiam CALVINUS in eandem propendere videtur sententiam in *Harm. Evang.* ad h. l. *Incertum est, inquit, semel ne an bis hanc orandi formam Christus discipulis tradiderit. Quibusdam hoc secundum videtur magis probabile: quia Lucas rogatum fuisse dicit; Matthæus vero inducit ultro docentem. Quia tamen diximus, Matthæum præcipua quæque doctrinæ capita colligere, ut melius ex continua serie totam Summam perspiciant Lectores: fieri potest, ut Matthæus occasionem; quam refert Lucas, omiserit: quanquam de hac re cum nemine pugnare velim.* At vero hanc persuasionem, quæ omni prorsus fundamento destituitur, jam suo tempore ORIGENES l. c. his fere argumentis impugnavit; λέγειν πρὸς τὰς ἕτως ὑπολαμβάνοντας, ὅτι πρῶτον μὲν τὰ ῥήματα εἰ καὶ γεινιωμένα τινὰ ἔχει ἀλλήλοις, ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις διαφέρειν φαίνεται. ὡς ἐρευνῶντες αὐτὰ παραστήσομεν. Δεύτερον δὲ ὅτι ἔχουσιν τὴν αὐτὴν προσευχὴν καὶ ἐν τῷ ὄρει λέγεσθαι. — καὶ ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν τόπῳ τινὶ προσευχόμενον, ὡς ἐπαύσατο, εἰρηθεῖν πρὸς τινὰ τῶν μαθητῶν ἀξιόσπουδα διδάχθηναι προσεύχεσθαι, ὡς καὶ Ἰωάννης ἐδίδασκε τὰς

μαθητῶν αὐτοῦ. Πῶς γὰρ ἐνδέχεται, τὰς αὐτὰς λόγους, χωρὶς πάσης γενομένης πείσεως ἀπολαϊκῶς ἐιρηθεῖν, καὶ πρὸς ἀξίωσιν μαθητῶν ἀπαγγέλλεσθαι. Et profecto quicumque serio occasionem perpendit, quam S. Lucas Cap. XI. v. 1. prolixè ac diserte memorat Domino esse datam, ut cuidam discipulorum, adducto etiam ad persuadendum S. Joannis Bapt. exemplo, in hoc religionis exercitio institui cupienti, eam, quam deinceps v. 2-5. exponit, Precum Formulam traderet; is facile intelliget, hæc nullo modo posse cum S. Matthæi narratione ita conciliari, ut ad idem tempus referantur: Matthæus enim non tantum, ut Calvinus perhibet eam, quam refert Lucas Domino fuisse oblatam, occasionem omisit; sed prorsus aliam ac diversam, cum verba ad populum in monte faceret, ex orationis serie eum arripuisse tradit. Atque quum S. Lucas jam supra Cap. VI. Summam hujus Sermonis in monte habiti pertexuerit, demum autem Cap. XI. ad hanc narrationem redeat, quam ab longe alia origine arcessit, quis poterit sibi persuadere, id quod hic memoratur, accidisse in medio illo Sermone a Domino in monte habito, adeoque utroque loco eandem prorsus rem sub diversis tantum circumstantiis referri? Accedit, quod Viri docti, qui IV. Evangelistarum historiam in ordinem temporum redegerunt, communi fere consensu docent, sesquiannum fere effluxisse, ex quo Christus in Sermone in monte habito hanc Orationis Formulam primum dederit, antequam eam, rogatus ut precari doceret, altera vice repetierit. Conf. *Ligtfootum* Chronic Temp. N. T. p. 38. & in *Hor. Hebr. in Matthæum.* p. 303. inquit: *Bis a Servatore tradita fuit hæc Oratio: primo in Sermone*
hoc

hoc in monte, cum non esset rogatus; & postea, cum rogatus, fere post sesquiannum Luc. XI.

§. V.

Neque vero tamen omni difficultate carere videtur isthæc opinio, quæ a Matthæi diversam esse Lucæ narrationem, & inter utramque aliquantum temporis intercessisse statuit: posset enim mirum alicui videri, qui factum sit, ut discipulo illi in mentem venerit, ut novam a Domino Precum Formulam tam anxie flagitaret, quasi ante sesquiannum nulla fuerit tradita. ORIGENES l. f. c. duas comminiscitur rationes, quibus hunc scrupulum diluat, fingit enim discipulum illum, cum primum Oratio Domin. fuerit tradita, τότε μὴ παρόντα, ὅτε ἔλεγε τὸ κατὰ τὸν Ματθαῖον, ἢ μὴ κενραῖηκότα τῶν εἰρημένων πάλαι. Atqui & Matthæus & Lucas diserte narrant Discipulos adfuisse, cum Dominus in monte doceret, immo Dominum orationem suam præcipue ad Discipulorum institutionem direxisse; adeoque illud commentum de Discipuli absentia omni plane fundamento destituitur. Ita quoque Discipulum illum, si quidem huic Sermoni interfuit, adeo religionis incurium & obliviosum sibi fingere, ut post sesquiannum non potuerit amplius reminisci ejus Formulæ, quam Summus Magister sectatoribus suis cotidie usurpandam commendaverat, perinde nullam habet probabilitatis umbram. Immo vero, cum ex Lucæ narratione manifestum sit, Discipulum illum non suo tantum, sed collegarum omnium, qui tum quidem præsentibus erant, nomine de tradenda aliqua Precum Formula Dominum compellasse, neutra ex rationibus ab Origene allatis

allatis subsistere potest : non illa de Discipulorum absentia , cum primum hæc Formula in monte traderetur ; Discipulos enim huic Sermoni interfuisse , & Matthæo & Lucæ testatum est : non altera , quia omnes in eandem oblivionis & levitatis culpam vocaret , quam vel uni ex eorum numero hac in caussa impingere religioni mihi ducerem. Neque hic cogitari de alio Discipulorum ordine potest , quam de duodecimvirali collegio , qui individui Domini comites erant , & qui h. l. suam sortem cum sorte Discipulorum Joannis Bapt. comparantes , eandem sibi a Domino felicitatem exoptant atque promittunt , ut concepta aliqua Formula præeat , quam in adoratione sequantur : nimis clara & perspicua est S. Lucæ narratio , quam ut in alium sensum rapi possit ; ita enim habet : Εἶπέ τις τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς αὐτόν. Κύριε , διδάξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι , καθὼς καὶ Ἰωάννης ἐδίδαξε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ. Εἶπε δὲ ἑαυτοῖς. Ὅταν προσεύχησθε , λέγετε. At vero ipsa hæc Discipulorum petitio idoneam rationem subministrat , ob quam potuerint Discipuli novam Precum formulam a Domino expetere , quanquam non fuerint obliti ejus Formulæ , quam Dominus in montano Sermone promiscuæ turbæ præscripsit : etenim , uti Joannis Baptistæ exemplo constat , & a *Ligtfooto* , *Sauberto* , aliis , pluribus testimoniis confirmatum est , jam ea ætate in more positum fuit Judæorum Doctoribus , peculiare Oratiuncularum formulas sibi ipsis struere , easque discipulis suis tradere ; quod procul dubio de privatis cujusque Scholæ precibus accipiendum est : Postquam igitur Discipuli Dominum ac Magistrum suum sæpius in secessu a turba remoto

remoto diutius vacare ac immorari precibus animadvertissent, simul vero etiam rescivissent, Scholam Joannæam a Magistro suo peculiarem precandi Formulam accepisse; quid mirum Discipulos Domini nostri his exemplis fuisse excitatos, ut novam etiam aliquam precum formulam rogarent, quam non haberent cum cæteris communem, sed qua ipsi seorsim uterentur, atque qua sese tanquam disciplinæ Jesu Christi alumnos omnibus probarent; quum non potuerint ignorare, priorem illam Formulam in Sermone montano promiscuæ turbæ fuisse commendatam. Neque cum Claris. LIGTHFOOTO *Hor. Hebr. in Luc. p. 525.* dubito, quin Joannes Baptista, de cujus Schola Luc. V: 33. diserte memoratum legimus, Νησεύσαι πυκνά, καὶ δεήσεις ποιοῦνται, cum doctrina novam quoque precandi formam induxerit, & quidem talem, quæ doctrinæ ac Ministerio ejus quam maxime fuerit attemperata: Quum enim *Joannenses de regeneratione, de imminente Messia Regno, de fide salvifica, de adoptione particulari, de Sanctificatione Spiritus, aliisque illucescentis doctrinæ evangelicæ capitibus, quæ erant a Scholis & Synagogis Judæorum aliena, essent edocti, quis ambigat, Joannem pro istis ac istiusmodi rebus docuisse suos orare?* Itaque quum Discipuli Domini nostri Jesu Christi non ignorarent, quantum Doctor ille suus, quo uterentur, etiam ipso Joanne B. dignitate præstaret, & quantum sæpe tempus sacro huic exercitio ipse impenderet, procul dubio per aliquem e suo grege rogantes, ut de precandi formula, quæ Scholæ ejus propria esset, ipsos institueret, pleniorum aliquam & copiosiorum formulam, quæque cum ejus docendi ac vivendi ratione minus

austeram ac rigidam, atque Joannis B. fuerat, melius conveniret, expectabant: quandoquidem universa Scholæ Jesu Christi disciplina a Phariseorum atque etiam a Joannis B. institutis multum diversa erat, uti clarissime constat ex Marc. II: 18, 19. ubi interrogantibus Joannis Discipulis: *Διατί οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου καὶ οἱ τῶν Φαρισαίων νηστεύουσιν; οἱ δὲ σοὶ μαθηταὶ οὐ νηστεύουσιν;* respondet Dominus: *Μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ Νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ Νυμφίος μετ' αὐτῶν ἐστίν, νηστεύειν. κτλ.* Quando autem Dominus, præter Discipulorum suorum expectationem, non novam iis, sed eandem, quam pridem omnibus promiscue commendaverat, precandi formulam iterum inculcat, quid aliud significare voluit, quam succinctam illam precum Formulam, jam olim a se traditam, omnia illa, quæcunque desiderare possint, abunde comprehendere; Discipulorum suorum necessitates, a reliquorum hominum, qui suæ disciplinæ se traderent, necessitatibus non ita esse sejunctas, ut peculiarem ipsis, qua divinam opem implorarent, precum Formulam impertire opus sit; perinde eam ipsis tanquam futuris Doctoribus, atque promiscuæ Christianorum turbæ apprime convenire: adeoque se eum morem non omnino probare, quem Judæorum Doctores & Magistri, in componendis Precum formulis, quibus quisque suam Scholam ab aliis ambitiose magis quam religiose distingueret, usurparent. Ad eundem fere modum huic scrupulo occurri posse censuit Clariss. LIGTHFOOTUS l. f. c. dicens:

„ Credimus nos & arbitramur, Discipulum illum minime expectasse eandem precum formulam repetitam; Sed cum oculus ejus intentus
 „ fuerit

„ fuerit in orationes Joannensium , expectasse
 „ eum formam aliquam pleniorē & copiosio-
 „ rem , & quæ particularius fufiusque exprime-
 „ ret petenda , quod factum , ut probabile , in
 „ forma præscripta a Joanne. At novit divina
 „ Sapiētia Salvatoris satis in ista sua esse com-
 „ prehensum. Et sicut inter Judæos erat ׀׃׃ ,
 „ *Summa brevis* , octodecim suarum Orationum ,
 „ in epitomen contractarum ; sic & hanc suam
 „ esse ׀׃׃ , Summam brevem omnium peten-
 „ dorum. „ Ubique tamen *Ligtfootus* in accom-
 „ modandis Judæorum ritibus ad Christi Domini in-
 „ stituta , & quidem iis aliquando , quos utrum ea
 „ ætate jam invaluerint admodum incertum est , ni-
 „ mius est & plura suo ingenio studioque Rabbinico ,
 „ quam veritati indulget. Cæterum pia est
 „ illa TERTULLIANI observatio *Libr. de Oratione* :
 „ *Docuerat* , inquit , & *Joannes Discipulos suos adora-*
 „ *re. Sed omnia Joannis Christo præstruebantur , donec*
 „ *ipso aucto totum præministris opus cum ipso Spiritu trans-*
 „ *iret ad Dominum. Ideo nec extat in quæ verba Joannes*
 „ *docuerit adorare , quod terrena cælestibus cesserint.*

§. VI.

Quandoquidem igitur nihil obstat , quominus
 O. D. Clausula , quam ab ipso Domino apud
 Matthæum profectam & additam esse sumimus ,
 cum secunda vice eandem repeteret , æque a Do-
 mino atque a S. Luca POTUERIT omitti , proxi-
 mum est , ut disquiramus , utra harum opinio-
 num majorem probabilitatis fidem mereatur. Vin-
 cet autem illa opinio , quæ graviores omissio-
 nis hujus rationes producere potest , sive eam ipsi Do-
 mino , sive S. Lucæ vendicet. Priorem Senten-

tiam propugnandam suscepit Clariff. LIGTHFOOTUS, atque ut persuadeat nobis, Christum Dominum, cum altera vice eandem Precum Formulam commendaret Discipulis, deliberato animo prætermisisse Clausulam, duabus præcipue nititur rationibus, quas nunc singillatim qua fieri poterit diligentia sub examen revocabimus. Prima igitur hæc est: Omissam esse a Domino Clausulam doxologicam, ut Discipulis rogantibus satisfaceret, qui ad Joannis exemplum Formulam aliquam requisiverint, quæ non Judæorum more emeris Benedictionibus & Doxologiis constaret, sed quæ tota *δελικὴν* esset, qualis fuerit etiam illa, quam S. Joannes B. discipulis suis tradiderit; quod manifestum esse putat ex Luc. V. 33. ubi Scholæ Joannæ disciplina ita describitur: *Οἱ μαθηταὶ τοῦ Ἰωάννου ἠνέχοντο πάντα, καὶ δεήσεις ποιῆσαι.* Ita enim Vir ille Clariff. *Hor. Hebr. in Luc. p. 525.* in hanc Sententiam differit: *Credimus itaque Discipulum hunc, qui Dominum orat, ut doceat suos orare καὶ ὡς καὶ Ἰωάννης, orationes Joannensium tales respexisse, cum Christum videamus obsecrationi & voto ejus annuentem formam Orationis tradere mere petitionariæ. Quod & ex ipsa tota compage Orationis constat, & ex hoc præsertim, quod Coronis doxologica omittatur. Nam Dominus Orationem *δελικὴν* sive supplicatoriam rogatus ut doceat, talem tradere apud se statuit, quæ sit mere supplicatoria. Et huic rei attestantur ea quæ sequuntur, de homine a vicino suo petente panes, addita & ista exhortatione: *Petite & dabitur, quærite & invenietis. &c.* At cum omnia, quæ hic a Clar. Viro temere affirmantur, omni prorsus fundamento careant, nihil eorum Dominum movere potuisset, ut Clausulam doxologicam omitteret, cum eam iterata*

jam

jam vice inculcaret. Primum enim precario sumitur, Judæorum preces, neglectis supplicationibus & deprecationibus, ex meris εὐλογίαις fuisse compositas: Satis enim constat in Judæorum precandi Formulis receptis τὰς Δεήσεις, petenda, neutiquam fuisse exclusa: Hinc MAIMONIDES in *Hilcoth Tephil.* c. I. Preces complecti debere præcipit, *Enarrationem laudis*, qua divinæ virtutes & perfectiones celebrantur; *Supplicationes & Petitiones* rerum necessariorum; & *Gratiarum actiones* pro beneficiis a Deo acceptis: Adeat, cui volupe est, *Celeb. VITRINGÆ de Synagog. vet. Libr. III. Part. II. Cap. XIV.* ubi *Schemon - Esre*, quæ a Judæis sanctissima habetur, collata cum Liturgiis, ex *Maimonide* tota exhibetur, ut cognoscat suisque fidem habeat oculis, quam multi sint Judæi in suis Precibus, non tantum in Eulogiis, sed etiam in supplicationibus & petitionibus frequentandis. Immo quando ipsi illi Viri docti, qui cum *Lighthfooto* sentiunt, perhibent, has ipsas Δεήσεις seu petitiones, quæ Oratione Dom. comprehenduntur, αὐτολεξεί (*) ex Hebræorum esse formulis repetitas, annon ipsi alterum hoc assertum de neglectis a Judæis supplicationibus maximam partem convellunt & asciam suis ipsi cruribus impingunt? 2.] Eam autem Formulam, quam S. Joannes B. discipulis suis tradidit, mere fuisse supplicatoriam, unde fidem faciet *Lighthfootus*, si quidem O. D. uti apud Matthæum cum Clausula legitur, hoc nomine, ob additam nim. doxologiam, indignam

R r 3

nam

(*) Vide in hanc rem Cl. WITSIUM de O. D. Exerc. VI. §. 32-38.

nam censet? Vix serio hanc causam agere videtur, cum phrasin illam a S. Luca de Joannis discipulis usurpatam, ΔΕΗΣΕΙΣ ποιῆναι, tantopere urget, quasi ex illa confici possit, formulam illam a Magistro acceptam, qua Joannæi usi fuerint, mere fuisse δειλιῶν: quasi vero Christi sectatores, quum Orationem Dom. cum Doxologia conjunctim usurpant, minus recte dici possint Δεήσεις ποιῆσαι: Quid quod? hic ipse locus Luc. V: 33. nullum plane inter Scholas Doctorum Hebræorum & inter Scholam Joannæam, quod ad precum formam adtinet, discrimen facit, sed eandem phrasin etiam de Phariseorum Discipulis adhibet: Ὁι μαθηταὶ Ἰωάννη νησεύεσι πυκνά, καὶ δεήσεις ποιῆσαι, ὈΜΟΙΩΣ καὶ οἱ τῶν Φαρισαίων. Quod si igitur, secundum *Lighthooti* argutias, phrasis illa Δεήσεις ποιῆσαι, excludit omnem Doxologiæ in precibus usum, consequens est, etiam Phariseorum Scholas nullas omnino ברכות *eulogias* aut *doxologias* in usu precum admisisse; quod *Lighthootus* tantum abest ut concedat, ut hanc inter præcipuas rationes referat, ob quas contendit Christum Dominum Doxologiæ, quam O. D. primum subjecerat, usum deinceps revocasse, ut se nim. hac ratione, ad Joannis exemplum, Judæorum in usurpandis benedictionibus & doxologiis nimio studio opponeret. 3.] Neque vero ego mihi unquam persuadeo, Joannem B. vel etiam ipsum Dominum eam orandi rationem, quæ cum Supplicationibus & δεήσεσι, Doxologias, vel unam, vel plures, conjungit, improbasse aut in vitio posuisse; nondum enim intelligo, quinam dari possit in divino Nomine laudando ac celebrando excessus. Dicere vero Dominum, Joannis B. exem-

exemplo , ut a Judæorum in suis precibus nimio
 εὐλογίας studio se alienum esse ostenderet, Doxo-
 logiæ usum, quem non ita pridem Discipulis suis
 & promiscuæ auditorum turbæ tanquam partem
 cum reliqua Oratione conjunctam tantopere com-
 mendaverat, post sesquiannum fere iisdem suis dis-
 cipulis, ut eam deinceps omitterent, auctorem
 extitisse, quid aliud est, quam ipsam Doxologiam
 ut supervacaneam & minus opportune additam
 repudiare? Neque vero majoris momenti est altera
 ratio , qua Cl. *Lighthfootus* probare vult, hanc Do-
 xologiæ apud Lucam omissionem Domino esse
 transcribendam, quasi Dominus omissa Clausula
 doxologica hanc precum Formulam a se traditam
 privato usui magis accommodatam reddere vo-
 luerit. Ejus verba in *Hor. Hebr. ad Matth. p.*
302. seq. ita habent: *In Liturgia publica in templo*
commemoratio regni Dei fuit pro Antiphono, sc. hac for-
mula: Benedictum sit nomen gloriæ regni ejus in
sempiternum! Et mox deinde: At hoc videtur in
caussa fuisse, cur secundo formulam Orationis flagitarent,
nempe quod primam istam pro publica Orationis formula
reputarent, cum & ex adjunctione Coronidis, Antiphono
publico in templo adeo similis, præsertim vero ex adje-
ctione AMEN, nonnisi in cœtibus usitati, hoc facile ar-
gueretur: Oratur ergo iterum, ut privatim eos orare do-
ceat, & ille eandem repetit formulam, omissis vero Co-
ronide & Amen, quæ publicum usum sapuerunt. Ha-
bes ergo in Coronide signum publici usus, ex consonantia
ejus ad Antiphonum in templo. &c. Atqui in supe-
 riore illa de *Clausula O. D. Au-Devliq. Dissertatione*
Musei Helv. partic. XI. inserta p. 405. seq. satis
 me ostendisse arbitror, quam levis & frigida hæc
 sit ratio, qua Vir Clarissimus Dominum fuisse in-
 ductum,

ductum, ut quæ non ita pridem summa auctori-
tate tradiderat, retractaret, sibi persuadere potest.
Et profecto parum sibi constant hi Viri in suis ar-
gutiis, mox enim confidenter perhibent, Chri-
stum Dominum se, quantum sapienter ac sancte
fieri potuerit, populi genio accommodantem,
quæ bona apud Judos inveniebantur, suis usibus
applicuisse, atque publicas ipsorum preces adeo
probasse, ut non tantum voces, phrasas & peti-
tiones fere omnes ex Liturgiis illorum in suam for-
mulam transferret, sed etiam Doxologiam insuper
adjiceret, ut eam privato usui consecraret: mox
vero iterum, Dominum nova aliqua formula,
quæ publico usui inserviret, liturgicas preces,
quod eas minus probaret, castigare voluisse. Est
vero admodum manifestum Dominum apud Mat-
thæum in sermone montano nihil de publicis pre-
cibus præcepisse, quemadmodum ex cap. VI. v.
6. patet: *Σὺ δὲ ὅταν προσεύχῃ, εἰσελθε εἰς τὸ ταμι-
εῖόν σου, καὶ κλείσας τὴν θύραν σου, πρόσευξαι τῷ Πα-
τρὶ σου τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ. - - - Ὅσως ἐν προσεύχε-
σθε ὑμεῖς. ΠΑΤΕΡ ἡμῶν. κτλ.* Id vero, quod si-
bi fingit *Lighthfootus*, quasi Discipuli mentem Do-
mini non recte affecti hanc Orationem pro pu-
blica formula reputarint, id ne quidem fieri po-
tuit; Neque poterant in hunc errorem induci per
adjectam Doxologiam, nisi docere possit *Lighthfoo-
tus*, omnem *εὐλογίας* usum a privatis precibus pe-
nitentibus exulasse. Fac autem Discipulos in hunc er-
rorem deduci potuisse, an credibile est, Domi-
num propterea tantum iis indulgisse, ut formulam
illam precum antea ipsis traditam præclara aliqua
sui parte truncaret. Et si hæc ratio quicquam va-
leret, omnia alia, quam quæ *Lighthfootus* vellet,
pro.

probaret: etenim si publico usui hæc precum formula fuisset destinata a Domino, quid opus fuisset Clausulam, tanquam Antiphonon publico usu receptum, neminique ignotum, adjicere? Tum vero etiam, si Dominus ob eam rationem Clausulam secunda vice omisisset, ut Oratio usui privato magis esset accommodata, non recte & præter Domini mentem hodie adhuc Clausula illa in privatis precibus adhiberetur. Adeoque quum leves & tantum non frivola sint hæ rationes, aut aliæ gravioris ponderis sunt producendæ, quæ Dominum permoverint, ut Doxologiam Orationi a se traditæ primum adjectam, mox iterum excluderet; aut dicendum est, si quidem hæc Clausula apud Matthæum a Domino fuerit addita, apud Lucam non fuisse a Domino omissam, quia hujus retractationis idonea & Domino digna nulla dari potest ratio.

§. VII.

Quod si vero sumamus Clausulam hanc doxologicam ea quoque occasione, quam S. Lucas memorat, a Domino cum ipsa Orationis Formula fuisse repetitam, non aliud superest, quam ut dicamus, eam a sacro Scriptore Luca, non per errorem aliquem, sed certo Spiritus S. stylum ejus ita moderantis consilio fuisse prætermisam. Atque hæc altera illa est hypothesis, qua Clausulæ a Lucæ textu absentiam excusare debent & solent, quotquot illam apud Matthæum genuinam & a Domino profectam esse contendunt: Itaque nos, pro instituto nostro, etiam ejus Hypotheseos rationes, quibus illa sibi fidem facit, expendamus oportet, ut cognoscamus, quantum eti-

am huic excusationi tribuendum sit. Quanquam autem plerosque in hanc Sententiam propendere admodum probabile sit, nemo tamen quod sciam, hanc disputationem de S. Lucæ in hac causa Silentio dedita opera ita ingressus est, ut quibus Hypothesis illa, cui quisque favet, rationibus sese tueri possit, distincte exposuerit: paucissimi vero eam vix leviter attigerunt, ut conjectando interdum prope non possis assequi, cui parti hic vel ille accedat, aut utram ex his Hypothesibus præferat. Atque ex hoc genere est Claris. de CANSTEIN Harm. Evang. p. 336. *So viel sehen wir aus Vergleichung der beyden Evangelisten, daß der Beschluß nicht ein eigentlich Stück des Gebetts als Gebetts sey; sondern ein Lobspruch zur Stärkung des Glaubens, der deswegen nach dem Luca, zuweilen ohne Sünde ausgelassen werden kan: Nach dem Matthæo aber billig ordentlich darzu gesetzt werden soll.* Huc trahi etiam possunt, quæ leguntur apud ERASMUM in *Annotat. ad Luc.* quasi de sola Clausula essent dicta: *Præscripserat hanc precandi formam non Episcopus quispiam, non Pontifex Romanus; sed ipse Christus: & tamen in tantula precatiuncula, quantam partem omisit Lucas? Et certe consentaneum vero est, eum sic orasse, ut nobis orandi formam tradit Autore Christo. Et ubi sunt interim qui misere trepidant, quoties ex humanis preculis vocula fuerit omissa? At iidem fortes sunt & intrepidi, quoties virulenta lingua fratris lacerant famam. Nec hoc dixerim, quominus attentissimi in precibus, sed ne præpostere simus superstitiosi.* Nititur vero ista Hypothesis hac una ratione, quod S. Lucas in suo Libro alia quoque carptim perstringat, quæ S. Matthæus prolixius tradiderit, alia

alia vero penitus omittat; in cuius rei fidem provocant ad Sermonem Domini in monte habitum, & a S. Matthæo V. VI. & VII. Capitibus recensitum, cujus plurimas sententias S. Lucas prætermittat, quando Cap. VI. ejusdem Sermonis compendium nobis exhibet. At mihi parum ad rem facere ista videtur ratio: Illa enim nos plane incertos relinquit, quid S. Lucam permovere potuerit, ut hanc Doxologiam iteratis a Domino vicibus traditam supprimeret atque silentio præteriret: adeoque huic Hypothesi, ad quam confirmandam adhibetur, nullam fidem facit, sed ejus absolutam impossibilitatem tantum excludit, quum docet, id quod in aliis factum esse constet, etiam circa hanc Doxologiam usu venire POTUISSE. Quanquam vero concedatur *non impossibilem* esse hanc Hypothesin, eam tamen, nisi *probabilem* quoque esse possit doceri, quominus jure merito rejiciamus, nihil impedit: non enim quicquid possibile est, idem statim etiam est probabile. Atqui plura sunt, quæ hanc Hypothesin minime probabilem esse ostendunt. Etenim quum Dominus Evangelicam Historiam per plures consignari & in Scripta referri voluit, consequens utique erat, ut in variis rebus, rerumque ordine & conjunctis varie inter se discreparent, tum ne in suspicionem incurrerent quasi ex composito egerint, tum quia nihil opus fuerat idem prorsus eodem modo a pluribus in litteras referri: propterea nemo miratur, in rebus historicis & dogmaticis, quæ in uno desunt, ex altero suppleri, atque omnino hactenus sapientem operarum inter Evangelistas distributionem, qua fit ut alii alios illustrent, facile agnoscimus: Ita nemini dubium est,

quin

quin S. Lucas Cap. VI. Sermonem illum Domini in monte pronunciatum, omissis plurimis, quas S. Matthæus persequitur, præceptionibus, omiſſa etiam tota illa de precibus institutione, in epitomen contraxerit; quia utrique Scriptori de eodem tempore & de eadem re sermo est. Sed longe alia ratio est omiſſæ Doxologiæ in O. D. Formula, cujus perpetuus in Ecclesia Christiana deinceps foret usus, quemadmodum conceptis verbis a Domino fuerat tradita. Etenim quum S. Lucas Cap. XI. aliud plane factum commemoret, de quo apud cæteros Evangelistas altum silentium; quum Dominus a Discipulis anxie fuerit rogatus, ut perfectam sibi, quam religiose sequerentur, precandi formulam dictaret; quum idem eandem præcise formulam cum Clausula doxologica conjunctam, qualem fere ante sesquiannum in monte ultro tradiderat, nunc altera vice repetat; quum diserte præcipiat ὅταν προσεύχησθε λέγετε, quo sine dubio & discipulis & universæ Ecclesiæ Christianæ hujus formulæ, uti conceptis verbis fuerat edita, usum commendare voluit: quæ dari potest probabilis ratio, qua adduci Lucas potuerit, ut totam partem doxologicam expungeret? Certe nulla: neque aliud geminum tam improbabile omiſſionis aut correctionis exemplum in tota Historia Evangelica reperies. Longe probabilior esset excusatio, si hæc Doxologia apud Matthæum, quum primum Dominus ultro hanc precum formulam tradidisse legitur, desideraretur; apud Lucam autem, ubi rogatus discipulis eandem iterum dictasse memoratur, addita foret; tunc enim aliquantum valeret illa ratio, primum quidem factis fuisse Domino docere, quis invocari & quid
peti

peti debeat ; hic vero cum fuisset deinceps rogatus , adjecisse Doxologiam , ut perfectior esset & Discipulorum votis responderet , ista precandi formula. Sed quæ prima vice a Domino tradita sunt , cum eadem deinceps alia occasione repeteret , vel a Domino fuisse retractata , vel a Sacro Scriptore castigata & expuncta , nullam omnino fidem inveniet ; nisi dari possit idonea ratio , quæ vel Dominum ipsum , vel S. Lucam permoverit ad id faciendum , quod ab iis certo consilio , & non sine gravissimis , atque etiam ex manifestis rationibus factum esse oportuit.

§. VIII.

Quoniam vero omnis hæc difficultas circa S. Lucae in hac caussa Silentium orta est ex communi illa Sententia , quæ Clausulam apud Matthæum ut genuinam & indubitatae fidei tuetur , ut supra §. II. a nobis traditum est : manifestum esse arbitror , omnem hanc difficultatem prorsus evanescere , neque ullo modo consistere posse cum altera illa Opinione , quæ Clausulam in S. Matthæi textum ex usu Græcorum liturgico illatam esse perhibet : quod enim nunquam a Domino fuerat traditum , non potuit a Scriptore sacro omit- ti. Quanquam autem non propterea statim Hypothesis aliqua sit præferenda , quod huic vel illi difficultati melius satisfaciat , aut eam penitus tollat ; adversa tamen Hypothesis quoad cum aliqua difficultate est conjuncta , cui nullo modo possit satisfacere , pro ejus difficultatis momento non potest non esse aliquantum suspecta , neque oppi- do plenum adfensum meretur. Equidem si perinde testata esset hujus Clausulæ apud Matthæum

γνησιότης, atque est ejusdem a Lucæ textu absentia, tum quidem Lucæ silentium ejus fidei nihil omnino quicquam posset derogare, quamvis etiam hujus Silentii rationes nobis non essent satis perspectæ. At hoc tamen recte inde tunc confici posset, Clausulam hanc non esse cum reliqua Orationis formula ita necessario conjunctam, ut non possit aliquando citra piaculum omitti, cum ipse Dominus rogantibus Discipulis plenam Formulam tradens, aut etiam S. Lucas Spiritu Domini actus eam in Ecclesiæ usum literis consignans, hanc Doxologiam prætermiserint, immo cum dubium nullum sit Apostolos atque etiam ipsum S. Lucam ita usurpasse hanc Orationem, uti a Domino fuerit tradita & a Luca conservata. Quandoquidem vero jam Clausulæ apud S. Matthæum auctoritas non ita extra controversiam posita est, ut nunquam vocata fuerit in dubium, neque ulla dari possit idonea ratio, quæ vel ipsum Dominum, vel etiam S. Lucam potuerit permovere, ut Clausulam prætermitteret; favet utique hoc Lucæ Silentium illi circa *ἀουθέντειαν* hujus Clausulæ dubitationi, atque oppositæ Sententiæ probabilitatem multum imminuit; cum probabilius sit, Dominum cum prima vice ultro hanc Precum formulam dictaret, Clausulam non addidisse, quam vero eum, cum rogatus eandem repeteret, omisisse & q. retractasse. Neque rursus vel tantillum obstat, quod admissa Hypothesi, quæ Clausulam apud Matthæum post IV. demum Sæculum passim additam ac propagatam arguit, dici tamen diserte & explicari non possit, qui fuerit factum, ut in nullum S. Lucæ Codicem unquam fuerit illatum isthoc additamentum: etenim perinde obscuro

scurum & explicatu difficile est, quando etiam
 contrariam Hypothesin tuemur, quæ Clausulam
 apud Matthæum pro genuina habet, non irrepti-
 tia, qui factum fuerit, ut Librarii in formula
 Orationis quotidiana, & quæ sæpe oscitantibus
 excidit, tam notabilem ejus partem in scribendo
 potuerint prætermittere, & quomodo hic error
 jam tribus prioribus Sæculis, nemine uno in tam
 brevi & familiari Oratiuncula errorem animadver-
 tente, ad integras Ecclesias, penitus oblitterata
 prisca veritate, potuerit propagari. Ut taceam
 nemini facile potuisse in mentem venire, ut Lu-
 cæ textum ad Matthæum conformaret, quia, ut
 ex *Origene* constat, veteres passim sibi persuade-
 bant, eam quam Lucas referret, aliam profus
 & plane diversam esse ab illa Precum formula,
 quam Matthæus consignasset: atque ex hoc ipso
 errore evenit, ut vis, quam Lucæ textus in hac
 Formula jam III. primis post C. N. Sæculis passus
 est, non in adjectionibus, sed in detruncationibus
 consisteret, ut ita magis a Matthæi formula dis-
 crepare videretur: quantopere enim jam *Origenis*
 ævo fuerit deformata, quam Lucas exhibet, O.
 D. formula, ex hoc ejus typo cognosces *περὶ* Eu-
 χῆς §. 18. Πάτερ ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, ἐλθέτω
 ἡ βασιλεία σου. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιουσιον δίδου
 ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν, καὶ ἄφεσ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας
 ἡμῶν, καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀξιέμεν πάντι τῷ ὀφείλοντι ἡ-
 μῖν, καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν. Quæ
 truncandi & expungendi audacia, an a Marcioni-
 tis, qui solum S. Lucæ Evangelium, neque illud
 integrum, admiserunt, fuerit profecta, nunc
 quidem non definio. Immo vero, perinde mi-
 rum est, si Clausula apud Matthæum pro genui-

na unquam fuit habita , eam in nullo Lucae Codice unquam fuisse adjectam : cum contra mirum non sit , ab iis , quibus suspecta fuit , eandem apud Matthæum fuisse expunctam.

§. IX.

Cæterum non erit extra locum , si hic paucis adhuc exposuero , quid mihi de illa multorum persuasione videatur , qui Dominum integram hanc precum formulam ex laciniis atque fragmentis Judæorum Liturgicis non dicam compilasse , sed aperte contexuisse , atque etiam Doxologiam , quod ejuscemodi in Orationibus Judæorum fuerint frequentiores , adjecisse censent. Celeb. WITSIUS de O. D. Exerc. VI. §. 32. *Orationem , inquit , Dominicam ita instituit Jesus , ut verba , phrasæ , petitiones fere omnes , ex Hebræorum desumptæ sint formulis. Sicut & in concionibus plerumque utitur notis eo seculo proverbiiis. Pridem hæc ab eruditis annotata sunt : quæ ut Juniores in promptu habeant , huc transferre non pigebit.* Et ne videatur hæc frustra dixisse §. 38. has rationes subjicit ; *Ita factum est , ut neque nimis & affectatæ novitatis avidus videri posset , & facilius intelligerentur atque acciperentur , ea quæ tradebat , si pateret , ea collectionem esse præstantissimorum cimeliorum , quæ adhuc in Ecclesiæ Judaicæ thesauro restabant.* Ego autem , ut verum fatear , non satis intelligo , quantum hujus exempli apud Dominum potuerit esse pondus aut momentum , ut illud imitandum sibi proponeret ; tum ob eas rationes , quas *Musei Helv. Part. XI. p. 391. & 392.* exposui , tum vero maxime , quod Soteris dignitati ac sapientiæ minus recte consulere eam opinionem existimo , quæ perhibet , Dominum , cum in eo esset , ut
suis

suis Discipulis & Sectatoribus perfectæ Orationis formulam traderet, eam ex meris Judaicæ Liturgiæ fragmentis consarcinasse; imprimis cum in O. D. vix unicum extet verbum, quod in ore Judæi non habeat sensum maxime dilutum & a mente Domini alienum; quanquam enim Judæi in suis precibus verba, ac phrasas & loquendi formulas quasdam conservarint, quibus divina Oracula Christi Regnum ejusque beneficia luculenter descripta dederunt; eam tamen increduli verpæ iis significandi potestatem subjecerunt, quæ Christi Regno adversa & inimica est; quod etiam Clariss. LIGTHFOOTUS in *Erubhin sive Miscellan.* Cap. XX. p. 205. recte notavit; *Oratio Domini*, inquit, *tota fere excerpti possit ex Scriptis Judæorum; neque enim negant verba, sed menti ejus contradicunt. Prima illius verba frequenter usurpant, scil. Pater noster, qui es in cælo, in Liturgia precum fol. 5. Et; Humiliate corda vestra coram PATRE VESTRO, qui est in cælo, in Rosh hashana. Sed tanta erga Patrem reverentia afficiuntur, dum Filium abnegant, quanta Gentiles, qui dicere potuerunt, Ζεῦ Πάτερ ἡμέτερε Κροῦίδη, quod in Homero frequens: atque ita adorant ignotum Deum. Actor. XVII. In alteris fere precibus ajunt: Veniat regnum tuum, atque id Bimherah Baiamenu, cito, etiam in diebus nostris: Sed regnum terrenum est, quod tanto cum desiderio expetunt. Precantur, Ne inducas me in tentationem, fol. 4. Liturg. dum tentant eum, qui duxit eos in deserto, ut faciebant patres ipsorum. Ps. XCV. Per Evangelium, quod ipsi in hunc modum compilant, æquum est ut judicentur. An verba sensu casta, aut quibus etiam inimica Christo significandi potestas subjicitur, sunt prisca fidei ac spei aureæ reliquæ,*

aut cimelium, quod, in Ecclesiæ Judaicæ thesauro repositum conservatum est? vel an hoc dignum pro Christo Domino imitationis exemplum? Quin multo rectius affirmamus Christum ex iisdem antiquis illis fontibus limpidis divinorum Oraculorum has loquendi formulas derivasse, ex quibus etiam Judæi similes fere, sed in alienum Sensum detortas, hauserunt: Quod ipsum Lucæ narratio Cap. XI: 1. aperte confirmare videtur, ubi memorantur Discipuli Dominum rogasse, ut sibi S. Joannis B. exemplo novam precandi formulam vulgaribus & inter Judæos usitatis perfectiorem & præstantiorem dictaret. Nemini tamen secus sententiæ hujus suæ opinionis invidiam imputamus, quam dextre amolitur Clariss. SCHOETGENIUS in H. H. Nemo vero dicat, inquit, nos statuere, Christum preces suas a Judæis sumsisse, quæ Sententiæ a me est remotissima: Christus enim, qui verus Deus est, Patri consubstantialis, Sapientiam habet infinitam, vi cujus etiam in statu exinanitionis longe sapientior erat omnibus hominibus; adeoque facillimum ipsi fuisset, vel millenas precum formulas præscribere, quæ a Judaicis essent diversissimæ. Placuit autem Sapientiæ ipsius, bona, quæ apud Judæos invenerat, retinere, in qua re nos, ipsius adseclæ, merito acquiescimus. At nos quæ bona illa fuerint, quæ apud Judæos invenerit Dominus, supra ostendimus, nim. verba in alienum sensum detorta & regno Christi adversa, adeoque Domino neutiquam æmulanda.

T A N T U M.

CON-